

Item adhuc Xliiii virgatas vel circiter iuxta fontem dictum ultra magnum vivarium nostrum retro claustrum

Item adhuc quatuor iornalia in eodem campo superius iuxta silvam nostram de petia terre quinque iornalium quam habuimus a *Ioanne Buys* per commutatione pro fonte nostro hoc anno etiam assignata prius.

Ubi nota quod quando fructus illius terre deinceps deponetur bene custodiatur et dividatur decima eius videlicet quatuor partes pro nobis et quinta pars decime pro capitulo sancte Gudile que quinta pars est ibi dimittenda pro decimatore dicti capituli habenda et tollenda.

Item circa Augustum institut hic quidam predicator Bruxellensis pro loco obtinendo cui prior timore nocturno anxius noluit assentire, tandem per instantiam quorundam fratrum nostrorum pro eodem apud visitatores et etiam matrone cuiusdam Bruxellensi magne benefactricis huius domus visitatores ordinaverunt ut in habitu suo occulte ad quindenam probaret quod et fecit sed non perseveravit.

Item quidam Decanus Thenensis Lx annorum vel circa similiter institit sed prior timore conscientie non ausus fuit eum admittere sed consultis visitoribus persuasum fuit ei ut ad mensem vel ultra probaret extrema rigorem ordinis et si tunc sibi videretur quod posset eum ferre tunc consuleret doctores Lovanienses de ingressu religionis, si illi consulerent tunc posset ipse bona conscientia acceptare ordinem et prior et conventus eum recipere, si non consulerent stare conventus in conscientia cum penitentia quod tam diu tardasset petere ordinem et ~~vivere~~ vivere pie et iuste et caste secundum suum statum.

Item dominica ante Assumptionem frater *Joannes Hac* rediit de domo sancte Anne in qua fuit hospes fere per annum et unem mensem.

Item hoc anno incepimus prius tenere porcos et facta fuit ara eorum ad braxatorium exterius iuxta cellam fratris *Joannis Coese* conversi.

Item in fine Septembris venit hic quidam laicus sartor *Joannes Strume de Diest* ad probandum pro statu donati qui recessit circa festum Bavonis anno Lxxxii et ivit mansum Lovanii in monasterio sancti Martini.

Item circa finem Septembris missum est hic unum contorium cum aliquibus libris a fratre et sorore fratris *Marcilii* qui libri et contorium sunt relictis *Hermanno* parvo filio *Joannis Hermanni de Tolnis* per avunculum suum magistrum *Petrum* et

concessus est per predictos domui usus librorum et contorii quousque idem Hermannus Juvenis indigebit, et si ante illud tempus moriatur tunc tam libri quam contorium manebunt pro domo. In libris qui sunt extra contorium in usu ponitur, Hermannus Joannis de Tolnis. De aliis forte fiet idem qui remanent in contorio.

Item eodem anno circa Omnium Sanctorum facta est una nova cupa pro braxatorio maior priore post cuius facturam operarius petiit quatuor petros et expensi sunt Xii asseres de *waghenscot* pro rotondo Vi pro principali *boem* et tres pro *loose boem*.

Item tunc reparata est piscina in stabulo equorum.

Item circa Nativitatem beate virginis venerunt hic ex testamento magistri *Nicolai Ory* capellani Beginarum Bruxellensium tres casule cum albis et quatuor mappis et corporali in bursa. Et glosa ordinaria biblie in quatuor magnis voluminibus.

Item anno predicto circa purificationem beate Marie perfecte fuerunt due paces in quarum migliore est unus parvus assere ponderis *drij ingelsche* quibus defalcatis remanent in puro argento Vi uncie Vii *ingelsche*. In alia sunt sex uncie Quinque *ingelsche*. Ad quas frater noster *Petrus de Thimo* dedit X renenses quemlibet de Xx St. Et dominus *Michael Pistoris* octo petros quemlibet de Xviii St. Pro argento in cambio habito exposui liiii Lb li sc Ix Den. Item pro auro ad deaurandum et pro operario exposui Xiiii renenses cum liiii st faciens simul Vii Lb Xiiii Sc Ix Den. Data a predictis ad eas ascendunt ad liiii Lb Vi St sic plus expositum quam receptum lii Lb Vii Sc ix D.

Nota quod tertia pax quondam donata fuit huic domui sicut est a domino de *Robays* milite in Flandria.

Nota quod isto anno circa Maium usque adhuc fuit maxima caristia fere in omnibus precipue nutrimentis hominum. Ista caristia incepit Anno Lxxxix circa martium, nec decrevit sed potius crevit et perseverat adhuc circa natale domini anno Lxxx. Ita quod unum sextarium bladorum quandoque venditum sit pro Xxii St vel circa et libra butiri pro li St V Den. et sic de aliis nutrimentis similiter.

Item in fine Februarii anno predicto Lxxxix facta fuerunt alique gote seu canales lignee pro vivariis et una earum et fossa in terra donec necesse habeamus sub aggere inferioris vivarii circa monasterium ad australem partem bece ibidem.

Item circa natale domini cepit Joanna in Anderlaco tenere vaccas nomine et utilitate nostra.

Item anno preterito in octobri misit et donavit hic magister *Zygerus van Hasselt* cappellanus sancti Nicolai Bruxelle Primam secunde et secundam secunde. Primam partem suume et secundam partem sc quatuor volumina sancti Thome. Item eundem super Job. Item quandam partem scripti eius super quarto sententiarum.

Anno Lxxxii circa Pasca et deinceps *Joannes de Leu* cepit facere ostia et fenestras nove domus et coquine eius.

Item in Junio idem cepit erigere et facere tam galileas australes quam orientales que pro parte fuerunt straminee et pro parte lapidee.

Item eodem anno fecimus hortum hupe ad australem partem muri monasterii et etiam portam ad murum inferioris porte ad intrandum ad hortum et etiam exeundum per hortum *Hermanni*.

Item in Augusto facta fuit nova porta ad hortum nostrum iuxta *ecclesiam de Molenbeca*.

Item circa illud tempus facta fuit parva porta ad pratum nostrum iuxta cammere pro introitu vaccarum.

Item circa Magdalene fuit inaltatus murus australis pro galilea conducenda.

Item circa Laurentii factum fuit ostium nole cum suis pertinentiis.

Item in fine Augusti Leodii circa domum nram interfectus fuit Episcopus Leodiensis *Ludovicus de Borboen*. Unde postmodum magnum disturbium fuit in terra Leodiensi ab ipsis Leodiensibus et Brabantinis.

Item in Octobri obiit Dominus *Joannes Rijmenam alias Nagelmakere* qui ordinavit unam missam quotidianam in domo grisearum sororum Bruxelle iuxta Beginagium de cuius sacerdote ordinando voluit ut prior huius domus haberet interesse et aliquantulum onus pro quo ordinavit pro domo duos renenses annuo sed an debeat onus acceptari non fuit tunc diffinitum a conventu aut etiam licentia habita a capitulo.

Item in Novembri cepimus ampliare vivarium inferius retro claustrum a parte inferiori.

Item in Octobri vel circiter Magister *Walterus Lowijs* fecit fontem duci in cellam prioris.

Item hoc anno circa principium empta fuerunt circa Xxi renenses annuo. Item Xv iornalia terre arrabilis in *Inxem* sub spe quod in futurum ibi possemus facere puteum lapidum etc ut habetur in registro heredum

Item profesto Presentationis fuit magnus antiphonarius scriptus per vicarium fratrem *Joannes Biest* perfectus et positus in ecclesia et deinceps ex eo cantatur a superiori parte chori prioris.

Item circa idem festum venit hic quidam braxator de Gandavo ut fieret frater sed non perseveravit nec convenisset qui recessit insalutatis circa Augustum anno Lxxxiii.

Item circa Octobrim cepit cella orientalis iuxta portam aliquater inhabitari per sacristam.

Item hoc anno magister *Willhelmus* curatus sancti Nicolai Bruxelle legavit aut soror eius nomine suo etiam instinctu Magistri *Bartolomei* curati eiusdem petitione prioris liram super totam Bibliam in quatuor magnis voluminibus et destructorium vitiorum et quasdam omelias *Chrisostomi*.

Item anno Lxxxii in fine Octobris sepelivimus supra sepulcrum Magistri *Zigeri predicti sc van Hasselt* domicellam *Annam de Vileers* uxorem magistri *Karoli de Groot*. Que postea translata et sepulta est cum magistro *Karolo* eius marito ante cellam eiusdem magistri *Karoli* pro tunc cancellarii *Brabantie*.

Item anno isto Lxxxii circa Octobrem fecimus librariam nostram supra capitulum.

Item infra octavas Nativitatis denunciata est bruxelle pax facta in regem Francie et terras istas inter quas ad Xv fere annos fuit guerra et interdum treuge.

Item die Epiphanie lectus est tractatus dicti pacis articulatim *Bruxelle* continens Xxiiii folia papiri et in gratiam misit nobis oppidum Xiiii geltas uni renesi.

Item feria quinta vel sexta infra octavas eiusdem Epiphanie factum est magnum bellum inter *Brabantinos* et *Leodienses* iuxta *Leodium* in quo ut fertur circa X vel Xi^m hominum fuerunt interfecta, maior pars de *Leodiensibus* et minor de *Brabantinis* qui etiam prevaluerunt et campum obtinuerunt et usque ad portas *Leodii*. *Leodienses* fugaverunt quas ex timore clauserunt etiam excludendo suos ut dicebatur. Postmodum ferebatur quod non tantus numerus populi cecidit. A dicto die usque post octavas *Pasce* magna vastatio fiebat terre *Leodiensi* et combustio oppidorum, villarum et castrorum. Circa octavas *pasce* facta fuit pax inter *Brabantinos* et *Leodienses*. Det deus ut perdurare posset.

Item Xii^a *Februarii* obiit Magister *Leonardus Criecke* *Baccalarius*

formatus in Theologia sacerdos Bruxellensis temptator meus Lovanii in baccalareatu et magistratu in artibus hic sepultus qui in testamento suo fecit domum hanc succedere in bonis suis sed nihil habuimus.

Item die Petri ad Cathedram incepit secunda cella orientalis inhabitari per fratrem *Petrum de Thimo* quondam decanum Anderlectensem qui passus fuit multis annis interplatim valde mirabilem infirmitatem ita quod quandoque infra duas vel tres horas sic fuit infirmus quod ambulare non potuit et ad statim bene sanus, loquens et mutus.

Item anno Lxxxiii feria tertia in rogationibus princeps Maximilianus fecit aliquos capi de Bruxella, Lovanio et Antverpia Mechlinie et horum aliquos fecit decapitari in castro Vilvordie et aliquos banivit. Unde fuit magnus timor guerrarum inter principem et dicta oppida et Gandenses et timor ingens in populo et nisi Deus preservasset de sua gratia potuisset fuisse magna commotio per seditio inter communitatem et dominos sed pro parte cessavit, sed turbatio inter dictum principem et Gandenses una cum aliis Flandrensibus non cessavit.

Item post pascha usque principium Junii ductus est fons a cella prioris ad cellam Vicarii per dictum magistrum *Walterum Loewijs*. Item per *Petrum Wijchman* a cella vicarii usque ad cellam fratris *Mathie* sequentem. Item inde ad cellam fratris *Joannis de Grootte* fecit duci frater eius magister *Karolus de Grootte*. Item inde dictus magister *Walterius Leonii* fecit duci ad primam cellam borealem transiliendo cellam intermediam nondum factam sc fratris *Thome*.

Item quarta Julii fuit hic sepultus *Joannes de Roye* pater fratris nostri *Henrici* monachi qui a multis annis benefecit domui huic in multis et reliquit post obitum suum et uxoris eius adhuc viventis unum hortum stantem iuxta *Ecclesiam de Molenbeca* prout patet in registro alio.

Item iste annus fuit quo ad estatem valde calidus et in multis locis pestilentius valde imo in messe plures ex estu obierunt in his partibus, im unus operariorum nostrorum scilicet *Walterus Hannoniam* bonus et legalis operarius Xvii^a Julii tactus fuit tanto estu quod post prandium circa horam quintam desecando triticum nostrum in valle iuxta *Stuvenberch* subito cecidit et loquelam et cognitionem amisit et ibi iuxta dumum infra horam postquam desiit operari spiritum emisit. Requiescat in pace. Amen.

Item profesto *Jacobi* de licentia principalis visitoris nostri prioris de *Monachuse* domini *Gerardi Haerlem* Reverendus Episcopus Dagnensis Suffraganeus Cameracensis dominis *Godefridus* ordinis Carmelitarum consecravit ac dedicavit in cimiterium totum magnum ambitum et hortum in medio ipsius gratis.

Item die Bartolomei tempore visitationis, visitatores absolverunt sacristam *Arnoldum* etiam conclusa visitatione post spaciamentum ex causa et ordinaverunt fratrem *Mathiam* sacristam.

Item in medio Septembris mundati fuerunt putei fontis nostri ubi nota quod puteus fontis in campo stans proximus *Berchem* dictat a *meer* illius terre nostre stantis in cono nemoris altioris ad Xxx pedes eundo versus Bruxellam semper super terminum terre et ad Xxx ___ pedes, Xv pedibus eundo directe inferius versus *stichel* vel claustrum.

Item alius puteus distat a dicto loco centum pedes eundo versus Bruxellam et Xc ___ pedes eundo versus *stichel* vel directe ad xc pedes versus claustrum.

Item in Octobri ductus fuit fons ad duas cellas orientales a prima fere cella occidentali ad quod magister *Walterus Henrici* dedit Vi renenses et dominus *Arnoldus Vollaert* tres renenses.

Item *Cornelius* super bursam dedit tunc tres renenses ad ducendum fontem de prima cella boreali ad secundam borealem. Et magister *Joannes Comperes* dedit tres renenses ad ducendum fontem ad tertiam cellam borealem de secunda, quia frater eius ibidem habitabat.

Item die Martini fuit hic receptus ad osculum et ad statum clerici redditi cum conditione quod non teneretur ad centum quem non sciebat et quem putabat se non posse addiscere de licentia principalis visitoris magistri *Gerardi Haerlem* prioris monachorum, magister *Franciscus Waelem* de Bruxella qui die Epiphanie sequenti deseruit statum predictum et de consensu conventus posuit se in statu ad probandum si in futurum posset fieri donatus prius acquisita tamen dispensatione et licentia Capituli et prioris Cartusie quia sacerdos et usquequo fiet donatus vel recesserit a nobis solvet expensas suas secundum suam conscientiam et dcretionem.

Qui recessit Anno Lxxxiiii circa festum Bavonis et dedit pro expensis suis Xxx Renenses et ad thuribulum aureum faciendum xv renenses et unam parvam tassiam(*sic*) argenteam.

Item anno Lxxxiiii in maio fuit factus murus inter duas portas horti inferioris cum galilea desuper ad conservandum

f° 60^v

pluruna a pluvia et due parva camere in fine.

Item eodem anno in Junio fuit facta domus in domo *Joanne in Anderlaco* super voltam ibidem pro eiusdem conservatione.

Item eodem tempore fuit ductus fons a tertia cella boreali sc fratris *Petri Comperes* ad quartam cellam eiusdem partis sc fratris *Joannis Hac* pro cuius ductione dictus magister *Walterus Leonii* predictus dedit tres renenses.

Item eodem anno circa medium Junii fuit hic sepultus magister *Zigerus van Hasselt* sub lapide suo et matris eius qui domui providit et fuit magnus fautor eius a principio.

Item feria quinta post ~~Middelbo~~ Bartholomei fuit hic sepultus *Joannes Middelborch* tunc burgimagister Bruxellensis magnus fautor et amicus et benefactor huius domus cuius uxor habebat tunc hic filius fratris sui monachum fratrem *Matthiam* sacristam que dedit domui annue *te Wolverthem* X sextarium siliginis et X renenses super oppidum Bruxellensem.

Item in fine Augusti ductus fuit fons ad quintam et sextam cellas borealis sc fratris *Joannes de Colonia* et fratris *Joannis Lochem*.

Item circa idem tempus fuit hic factum stabulum porcorum iuxta fimarium per se.

Item circa Natale domini fuit iuxta nos sc in *Leuwis* et *Wemmele* exercitus Flandrensis sed reversi fuerunt non inferentes magnam violentiam patrie nisi forte locis ubi quieverunt et per que transierunt quodammodo perambulando diversa villagia quia sperabatur de pace tractanda inter ducem Maximilianum et filium suum parvulum Philippum cuius causam tunc agebant Flandrenses precipue Gandenses.

Item 3^a Januarii sepelivimus hic relictam *Joannis de Rojje* Bruxellensis matrem fratris *Henrici de Rojje*. Post cuius obitum venit domui domistadium in *Molenbeca* iuxta ecclesiam.

Item die Purificationes sub missis privatis irruerunt quidam armigeri ex Flandria precipue de *Alosto* et venerunt usque ad portas oppidi aliqui eorum qui fecerunt rapinas varias equorum et bestiarum et captivaverunt plures de vicinio nostro et alibi

Item die tertia proxime sequenti redierunt circa prefatam horam et steterunt ad horam vel circiter hic circa *Capellam* nostram equites circa centum in campo seminato et similiter

fecerunt predas revertentes in diversis locis sed paucas circa nos nec nobis fere fecerunt.

Item dominica letare sc altera Gregorii iterato venerunt etiam ante portam nostram parum comedentes et bibentes sed nihil mali nobis fecerunt aut facturos se dixerunt procuratori nostro.

Circa festum annunciationis Hermannus Anderlecht custos capelle nostre Domine de Gratia dixit quod visum sibi fuit et quodammodo beata Virgo dixit sibi in corde quod pax cum Flandrensibus non fieret nisi Cartusienses etiam se interponerent et sic retulit cancellario Brabantie qui die palmarum vocavit ad se Priorem huius domus et suasit ei ut se offerret ad servitium principis ad loquendum Flandrensibus cum prioribus de Antverpia et Diest et — de pace et rogandum eos ut se vellent inclinare ad pacem ad quam princeps Maximilianus se semper dixit inclinatum. Sic accepta informatione a cancellario Brabantie magistro *Carolo de Groot*e qui fratrem habuit in hac domo prius infra octavas pasce congregatis nobis sc priore Capelle, Antverpie, Diest, priore ac procuratore huius domus apud eum Lovanii simil obtulimus nos ad pergendum versus Flandriam pro pace loquenda et admonenda, sed quia tunc nondum fuit informatio nostra conscripta sic quilibet nostrum ad domum suam remeavit ad conveniendum dummodo moneremur. Circa medium Aprilis Prior huius domus recepit Bruxelles a dicto cancellario informationem pro pace facienda et tunc demandavit pro Prioribus predictis qui convenerunt in hac domo absque Priore Antverpie qui domi non erat quando nuncius pro eo illuc venit sicque Xx Aprilis nos reliqui quatuor cum curru nostro perreximus versus Gandavum et eodem sero dummodo venissemus ad miliare iuxta Gandavum invaserunt nos ruteri Flandrenses et precipue villani circa et abduxerunt nos de via communi ad unam domum ruralem et ibi ceperunt nobis pecunias nostras literas et informationem per quam tota nocte diffamaverunt nos ad portas oppidi et de mane in oppido dicentes nos esse proditores. Sic de mane circa horam octavam induxerunt nos in Oppidum cum uno servitore Legis ipsis ruteris circum circa nos gradientibus et multis milibus(*sic*) hominum respectantibus et quibusdam deridentibus nos verbis et factis usque ad domum civium ante Legem qui omnes literas nostras habuerunt, apud se ex quibus in genere pauci notabantur qui pacem impediabant pro commodo lucro et dominatione sua observanda. Et sic *Willhelmus Rijn* et quidam alii dixerunt nos esse reos magni criminis, sic miserunt nos in unam cameram in domum civium ubi fuimus stricte custoditi fere ad Septem Septimanas et postea admonitione et prece Prioris nostri de Gandavo fuimus dimissis ad domum eusdem. Eodem die dimissionis nostre de domo civium facta est coniuratio et seditio populi contra illos de Lege. De

quibus aliqui capti fuerunt et tantum duo sc *Wilhelmus Rijm* et *Daniel Orent*(abrév) primus tunc scabinus postea decapitati infra quindenam qua mansimus in domo nostra apud dictum oppidum. Alii plures capti iterum fuerunt dimissi et nova Lex creata et decani qui cum aliis voluerunt pacem quam per literam obtulit capitaneus de Teneramunda sc dominus de Santray et sic tandem post medium Junii fuimus plene per novam legem laxati ad rediendum ad domos proprias sed habuimus solvere expensas factas et ceperunt currum et duos bonos equos et mulam et aurigam mercenarium nostrum posuerunt in carcerem pro cuius liberatione et expensis suis et nostris una cum valore equorum et aliorum que amisimus habuimus bene damnum l Lb. Gr. Flandr. sc Iii^c Renenses. Sed reformata pace statim post reditum nostrum ad domum prosecuti sumus ad Cancellarium predictum pro reparatione damni habenda ab illis de Flandria et maxime Gandensibus. Et tandem post longam persecutionem cause nostre coram lege Gandensi maximis expensis nostris circa initium Martii Anno Lxxxvi sentiaverunt scabini Gandenses quod non habemus iustam querelam contra scabinos qui nos detinuerunt captivos et absolverunt nos indicantes(*sic*) quod quilibet nostram solveret suas expensas sibi ipsi, et maxime propter tractatum pacis qui omnia absolvit et delevit forefacta et damna sic querele nostre non fuerunt ipsis accepte. Sed dictum est nobis a prudentibus quod peteremus restitutionem a principe Maximiliano nunc Romanorum Rege cuius gratia et intuitu seu admonitione et predicti Cancellarii damna incurrimus nec nobis providerunt in tractatu pacis prout tamen unus eorum dixit converso nostro quod numquam pax firmaretur nisi in integrum restitueremur sed neglecti(*sic*) fuimus. Ad ultimum tamen prosecuti fuimus reparationem ad dictum regem per medium domicelli *Joannis Fax* custodis Vestium eius.

Item circa Festum Purificationis fuerunt hic in vicinio armigeri ex Flandrie qui plures homines captivaverunt et multam predam tulerunt et exinde in hac parte Brabancie ceperunt guerre ingravari. Et ideo circa principium Quadragesime Prior, procurator, coquinarius et Hermannus in capella expoliaverunt argenteum Carolum et miserunt argentum et alia encenia et bona domus Bruxellam in domum Elzelaere et pro parte in hospitio nro. Ac de consilio dicti *Joannis Elzelaere* et *Francisci Stoc* fecimus iymaginem(*sic*) ligneam ducis Caroli super quam argentum erat fixum depingi meliori foro quo potuimus per famulum dicti *Francisci* in cuius depinctione de scitu et voluntate nostra appositum est pro parte argentum pictorum pro parte folie ne dicatur quod pictor false depinxit. Pro cuius depin =ctione et quorundam aliorum reparatione in domo nostra in tabulis habuit dictus *Franciscus* pro se Xiiii renenses communes et famulus eius et filius habuerunt unum renensem pro bibalibus faciunt simul Xv renenses sive Iij Lb Xv sc Braban.

Iste Carolus argenteus factus fuit anno Miiii^clxxvii circa festum beate Marie Magdalene quem dux Burgundie fieri fecit, pondere fuit lxxxiiii mercarum argenti, istud inveni in quodam libello D. *Joannis de Bruyne* olim procuratoris huius domus. (§ écrit par une autre main)

Item Xiii^a Septembris Obiit magna benefactrix nostra domicella *Margareta Zuweels* uxor *Joannis Elzelaers* que nobis procuravit ad virum suum *Joannes Elzelaere* eleemosinam stamni et plumbi emptorum prius per ipsum pro nobis ad deducendum fontem nostrum bene Iii^c renenses vel circiter et multas alias eleemosinas dedit et procuravit etiam bona hic data hereditaria pro pauperibus ut patet suis locis similiter dederunt que hic fuit sepulta profesto exaltationis Sancte Crucis anno Lxxxv et exequie eius hic celebrare in octavis nativitatis beate Marie virginis quia de peste obiit.

Item eodem anno more Cameracense fuit hic receptus Sexta Februarii altera Agathe et quinquagesime in donatum modo communi frater *Laurentius der Kinderen* qui pridem fuit in coquina sed seductus volens nubere exivit contra voluntatem prioris et matris sue qui postmodum magnam paupertatem perpessus et ad se reversus bene per priorem probatus diversis modis receptus fuit postmodum annos ut supra.

Item vii^a Februarii anni prefati fuit hic sepultus egregius dominus Cancellarius Brabantie magister *Karolus de Groot*e frater confratris nostri *Joannis de Groot*e qui ordinavit ante obitum suum fieri hic unam cellam sc iuxta portam ambitus versus meridiem cum sumptuosa galilea de albis lapidibus incipiens primo formam ambitus det deus ut ita possit prosequi et perfici que fuerunt fundata circa principium Martii. Et ista cella fuit prima cellarum coopertarum cum scaliis. Qui etiam contulit domui in vita sua multa beneficia, semel in pecuniis promptis patri *Marcilio* amabiliter mutuatis Lx renenses quitavit et quotiens hanc domum visitavit eidem Vi renenses communes dedit duas biblias dedit, ac plura beneficia contulit ac dedit et pro cella et ambitu dedit quingentos renenses et ibidem sepultus anno Iiii^clxxxv Vii^a Februarii.

Item sabbato post pascha sc prima Aprilis fundata fuit sequens cella post predictam ad meridiem versus occidentem quam assignamus pro domino *Jacobo de Masteyn* milite ex Hannonia qui dedit recognitionem pro ea construenda et etiam dotanda simul ad summam Lxxx librarum flandrie sc Xx Libras pro constructione celle sed non sufficit de voluntate conventus fuit secunda cella tecta scaliis nostris expensis q... fuit contentus quod tegeretur lateribus nec aliquid addidit ad summam predictam.

Item in Maio fuit vivarium inferius retro cellas ampliaturum et expurgatum ita quod nunc est quodammodo quadratum.

f° 62^v

Item in Iulio venit imperator Maximilianus Bruxellam tunc Rex Romanorum effectus qui multo honorifice ibidem fuit receptus.

Item circa festum Magdalene venit imperator Fredericus pater dicit Maximiliani Bruxellam et fuit feria secunda sequenti in nocte magna turbatio in oppido a Teutonicis Ruteris qui turbabant cives et periculum pugne et predationis civitatis. Sed deus misericorditer preservavit quod quidam theutoni fuerunt interfecti et submersi et paucissimi de oppido.

Item in Octobri fuerunt due celle orientales versus boream ex parte cuiusdam magni domini sc Episcopi Cameracensis qui intendebat eas dotare.

Item die omnium sanctorum fuit hic sepulta domicella *Maria vander Borch* que fundavit et dotavit hic unam cellam et plures eleemosinas fecit ut patet in registro prioris et procuratoris. Cuius anima requiescat in pace.

Item in principio Martii fuerunt hic fundati carceres duo in uno domo secundum modum pro parte carcerum de Zeelem.

Item die cene domini sc Xii^a Aprilis fuit inchoatio facta ad proseguendum edificationem Ecclesie conventualis que fecit ad altitudinem Vii vel Viii pedum ex terra circa Xviii annos ad quam construendam quidam Theutonicus domicellus Joannes Fax custos vestium regis romanorum dedit Maximiliani.

Item anno Lxxxvii altera Ascensionis incepit Bruxelles forum magnum duraturum annue per octo dies feriales sc usque festum Pentecostes. xii Item etiam simile forum est in Octobri.

Anno domini Lxxxvii, xxix mensis Julii obiit venerabilis pater *Marcelius Voet* etatis anno liiii prioratus autem sui anno Xii qui ante prioratum suum quatuor annis fuit vicarius et corrector huius domus. Postea fuit electus in priorem qui fuit homo multum scientificus et expertus in Grammatica, in Logica, in naturalibus et in Theologicalibus, in interioribus et exterioribus. Qui quam sancta quam pie, quamque laudabiliter conversatus fuit vix effari posset. Insuper in frequentando chorum et ecclesiam valde sollicitus fuit. Nam licet multo tempore ante finem vite sue infirmus et impotens fuerit tamen die iocunque pene ultra vires semper studuit interesse divinis et tempore sanitatis adeo

ferenter laboravit quod duas vel tres voces valuit. Fuit etiam multum diligens in corrigendis libris ecclesiasticis, multum etiam studuit pro pace conventus et multa sepe in verbis et factis pro pace aliorum patienter pertulit. Insuper etiam domum in interioribus et exterioribus in edificiis et redditibus plurimum ampliavit. Nam Vii cellas tempore suo edificavit et octavam sc Episcopi Cameracensis inchoavit sed non perfecit. Item novam coquinam edificavit quantum ad exteriora etiam anno ultimo etatis sue cepit ecclesiam conceptam continuare sed non longe post inceptionem obiit post multos labores multasque patientie coronas. Multa insuper sunt alia de eius patientia et humilitate dicenda que causa brevitatis omitto, quia licet in vita sua semper patiens et humilis fuit in fine tamen precipue eius virtus velut aurum in fornace probata fuit quoniam horribilem atque diuturnum agonem sustinuit. Cuius anima cum predestinatis in pace requiescat. Post cuius sepulturam expletis his que secundum statuta sunt facienda et vocatis Visitoribus pro tunc circa visitationem occupatis tandem post tredecim dies comparaverunt quibus presentibus anno prefato altera die post Laurentii electionem canonicè celebravimus qua cum difficultate sortiente effectum imo trina vice repetita finaliter una voce supercrescente electus fuit in priore frater *Mathias* pro tunc sacrista huius domus annorum circiter Xxxvii et factus fuit tunc sacrista frater *Henricus de Roye* de Bruxella cantor vero factus fuit frater *Joannes de Colonia*.

Anno prefato lathomi Ecclesie nostre ab opere destiterunt et fuit illo anno a parte meridionali et occidentali exaltata Xvii pedibus a latere vero aquilonari pene uno pede minus et ille qui mensuravit Ecclesiam invenit Lxxiii virgata pro illo anno facta et circa Nativitatem beate Marie ab opere destiterunt et illo anno tam pro Ecclesia quam etiam pro cella episcopi et pro fundamento carceris coximus tres furnos lapidum, quartum vero pro anno futuro circa conceptionem beate Marie in Decembri. Primos tres furnos preparavit quidam nomine *Henricus*.

Item eodem anno in Octobri terminus novam ecclesiam cum straminibus pro consecratione operis a pluvia et ab aliis nocumentis. Etiam circa idem tempus posuimus fundamentum muri retro duas cellas meridionales et fecimus utrumque penam.

Item eodem anno in Novembri incepit preparari interius cella episcopi Cameracensis et etiam parva camera hospitem iuxta novam coquinam pro cuius preparatione magister *Petrus Zuweels* et dominus *Michael Pistoris* dederunt duas vitreas fenestras.

Item sciendum quod primos tres furnos preparavit quidam nomine *Henricus* qui etiam ultra triginta renenses communes plus levavit

quam promeruit. Quartum vero furnum preparavit *Joannes* vobis cum suis adiutoribus.


Item anno predicto *Xvii^a* septembris elevata fuit hic de sepulcro suo uxor quondam magistri Karoli de Groote Cancellarii Brabantie que fuit hic sepulta anno domini Lxxxij circa sepulcrum magistri *Sigeri van Hasselt* et potuimus eam in sepulcro viri sui ante ianuam celle sue quam prefatus dominus fecit fieri sub magno lapide sicut prefatus dominus in vita sua desideravit.


Item anno Lxxxvij in festo sancti Joannis Evangeliste fuerunt hic ordinati quatuor predicatorum cum priore de scitu visitorum pro conformatione domus nostre ad alias domus provincie sc Vicarius, frater *Joannes de Colonia*, frater *Arnoldus*, et frater *Joannes de Groote* qui singuli facient ebdomadam suam per ordinem.

Item hoc anno fuerunt Bruxellenses in magno timore quoniam volavit fama quod rex cum suis vellet spoliare et invadere civitatem sed deus sua clementia preservavit eam. Unde ex illo tempore cives ceperunt continue servare portas et vicos civitatis. Postea idem prefatus rex visus est temptare Brugas quamobrem ibidem captus ac tentus fuit sic quod fere per quatuor menses esset in custodia. Tandem finaliter facta fuit in Flandria una congregatio omnium patriarum ac nobilium aliquorum et ibi facta fuit una pax et concordia generalis omnium patriarum istarum, promisitque rex se numquam vindicaturum iniuriam sibi illatam. Sed postea supervenit Fredericus Cesar pater Maximiliani regis statimque irrupit fedus conceptum ac cepit obsidere Gandenses totamque circa regionem incendere ac demoliri.


Item anno Lxxvij circa Nativitatem beate Marie venit hic ex studio Parisiensi *Henricus Orii* nepos quondam magistri Nicolai Orii a quo recepimus glosam ordinariam qui ob mortem prioris nostri videns vacare locum proposuit huic seculo renunciare et christi vestigiis inherere quem aliquot diebus regulariter protectum tandem ad sui instantiam eum Xxvij Januarii anno sequenti recipimus ad osculum pacis et quinta Februarii sc in festo sancte Agathe eundem recipimus ad habitum qui cepit inhabitare secundam cellam a parte aquilonari proximam pomerio qui anno sequenti eodem die fecit professionem.

Item hoc anno Ultima Januarii obiit singularis amica nostra domicella Margareta de Berchem begutta que reliquit domui certos redditus sc Xiii renenses communes et quatuor electorum de quibus quatuor nihil recipimus propter defectum foundationis et incaute emptionis que omnia dedit ad sustentationem monachi unius intendens fundare unam cellam. Insuper in vita sua multa obsequia domui nostre et Ecclesie gratis impendit nam multis annis valde







De Groot



Vileers



De Langhe




Aubrij


Hic iacet Dominus Carolus
de Groot miles quondam Cancellarius
Bfrabantiæ, qui obiit A°. Dni
1485 . 7 . die februarij.

Et Domina Anna De Vileers, eius
Coniux, quæ obiit A°. 1482 . 27 . die
Octobris


Ac Domicella Maria Cotereau.
quæ obiit A°. 1505 . 28 . die Januarij




Couterau



Steynemeulen



Bayart



Vander Weyer

f° 64v, 65 et 65v = pages blanches.

fideliter pannos nostros preparari fecit ac etiam propriis manibus preparavit. Etiam novas casulas et albas pro ecclesia sepe de novo fecit et antiquas reparavit aliosque labores consimiles sepe fecit.

Item hoc anno Lxxxviii post festum pasce fuit plenarie preparata cella Episcopi Cameracensis quantum ad interiora. Fuit etiam circa idem tempus cimiterium adequatum ex quo terra fuit extracta ad formandos lateres.

Etiam obiit anno Lxxxviii Vii Maii dominus *Henricus Nulant* canonicus Ecclesie Anderlectensis ex cuius legatione venerunt huic domui annue centum renenses communes de Xx St super oppidum Bruxellense, etiam domus sua quam construxit in Anderlaco. Insuper etiam legavit domui omnia nobilia sua ac debita petens ut pro hiis omnibus hereditates aut redditus perpetui compararentur ad distribuendum annue omnia pauperibus de quibus domus pro administratione sua habebit de omnibus quintam partem. Placuit etiam quod poterimus ista distribuere pauperibus diversis spiritualibus sive secularibus secundum dictamen conscientiarum nostrarum precipue tamen commendavit nobis quatuor domus religiosorum sc domus Cartusiensium circa *Buscumducis*. Domus observantium circa oppidum Bruxellensem dictam *te Bootendale*, Domum fratrum tertii ordinis in oppido Bruxellensis, Domum sororum tertii ordinis in eodem oppido ante beginagium dummodo eguerunt et permanserunt in observantia. Insuper etiam pre ceteris commendavit nobis pauperes de Anderlaco, de Dielbeke, de Itterbeke et ceteros vicinos. Item circa idem tempus emimus quedam mobilia dicti domini *Henrici* pro camera hospitem et pro conventu.

Item *Joannes Elzelaer* misit hic xxii^a maii unam pulcram tabulam pictoratum ponendam supra sepulcrum uxoris sue per medium *franconis Stoeck*, fecit etiam idem *Joannes* circa idem tempus preparari lapidem ponendum super sepulcrum suum.

Item hoc anno in principio Junii fuit hic translata una parva domuncula gallinarum ac porcorum de loco ubi primo constructa et erecta fuit et posita retro horreum partim pro tunc in horto olerum, ceperunt etiam circa idem tempus preparari due celle meridionales ad intra sc cella magistri *Karoli de Groot*e Cancellarii Brabantie et cella domini *Jacobi Masteyn*, et circa idem tempus factus fuit murus retro duas cellas meridionales per *Cornelium Lathomum* cum duobus filiis suis cum virgatis.

Item circa festum Mathei Apostoli Bruxellenses receperunt *Philippum de Ravestejn* filium *Adolfi de Ravestejn* qui fecit ibi statim proclamari pacem et concordiam sc unionem inter Regem